

[Faint, mostly illegible handwritten text in a medieval script, likely Gothic or Carolingian minuscule. The text is arranged in two columns across the page. Several lines are underlined in red ink. Large red initials are visible at the beginning of certain sections.]

Communicata
in decem



M-s. 1297

an f.

R

2197.6

F. A. v. Maxß
1831 oho



46
CARMEN ΠΡΟΠΕΜΠΤΙΚΟΝ

HONESTO ET
DOCTO VIRO, ERVDITIONE
ET VIRTUTE PRAESTANTI M. IACOBO
Matthiae VViello, conterraneo & amico suo
ueteri VVitteberga discedenti,
scriptum

A
THOMA ANDREA
Vardensi.



VITEBERGÆ
EXCVDEBAT IOHANNES
CRATO.

ANNO M. D. LXIII.

ΠΡΟΠΕΜΠΤΙΚΟΝ.

Fama nouenarum celebris Iacobe sororum,
Addita amicicia portio magna meæ.
Et mihi præcipuè perspecte fidelis, ab ipso
Tempore quo socius te mihi iunxit amor.
Hic ubi Celtarum Belgas disternat oris
Sequana, Francorum mœnia nota petens.
Perq̄ ibi Parnassi iuga celsa biuerticis ibam
Te socio, studijs inuigilando bonis.
Improba sed dirum quatiens Bellona flagellum,
Inceptis studijs perniciosa fuit.
Nam ferus ex istis nos sedibus expulit hostis,
Iussit & exilio vertere dulce solum.
Quid loquar insidias: & quod confecimus vnâ
Per loca solliciti plena timoris iter?
Blanda tamen vultu mihi sors arrisit amico,
Quamuis spes fuerat prorsus adempta mihi.
Me veluti reducem Musis quia reddidit ipsis,
Sistit in Albiaca dum Deus ipse Schola.
Hic tibi coniungor veteremq̄ nouamus amorem,
Officij licuit qua modo cunq̄ fide.
O ter felices, ô terq̄ quaterq̄ beatos,
Quis datur hac ipsa conditione frui.
Dum liceat doctum nobis audire Sebastum,
Atq̄ alios hæc qui culta lycæa regunt:

A 2 Vertice

*Vertice bellatrix prognata virago tonantis,
Quos claris ornat dotibus ingenij.
Ut nunc illorum nomen sinus ultimus orbis
Audiat, exoriens occiduusq; dies.
Non ego olorinae cupiam modulamina linguae,
Vox haec Cygnea plus mihi voce placet.
Num fugis, & nostra procul hinc discedis ab Vrbe,
Optime vir, nostro dignus amore coli?
Nonne reuisurus patrij confinia regni,
Leucoreae linquis docta theatra scholae?
Non metuis calidos phœbei luminis aestus,
Qui faciunt longæ tædia dura via?
Adde quod indomiti nondum fera bella Gradiui
Illic, quo properas, conticuisse ferunt.
Nonne perhorrescis feruentem cædibus orbem?
Nec Martis furia, seu nec arma mouent?
Quis Iacobe tibi locus est vbi bella geruntur?
Nam nostræ fugiunt Martia tela Deæ.
Ergo precor maneat, niueaq; moratus in Vrbe,
Temporis expectes commodioris iter.
Sed te fata trahunt, quibus est parère voluntas?
Quæ fuit in patrios officiosa lares.
Quando igitur fatis cogentibus inde recedis,
Et mea diripiunt verba precesq; Noti:
Expandam verum nostri tibi cordis amorem,
Quem meruit virtus & tua Musa tibi.*

Vera

Vera loquar, nec præ nimio seducar amore,
Est animi testis publica fama mei.
Et nisi te coràm multum laudare vererer:
(Laus solet exiguam talis habere fidem)
Multa forent, Musas Phœbeaq; nomina testor,
In laudes possem quæ recitare tuas.
Nil in odoriferis Musarum conditur hortis,
Quod non monstrarat doctus Apollo tibi.
Quicquid habet tellus, & quicquid sydera celsa,
Ingenij quæris sedulitate tui.
Ergo caput celebres cupiens efferre per artes,
Durum & Pimplæi scandere montis iter:
(Dum tentas cæli numerare nouemplicis astra,
Aut dimetiri nobilis orbis opus.
Aut discis varios Solis Lunæq; labores,
Et cur hæc vultum cur tegat ille suum)
Ipse tuum sensim nomen dimittis in orbem,
Et crescit famæ lausq; decusq; tuæ.
Nec satis hoc etiam mores, quos exigit usus,
Egregios, semper discere cura fuit.
Nam si quis docta progressus fecit in arte,
Nec tamen his mores addidit ipse bonos.
Is non tam lucrum quàm damnum fecit honesti,
Ut quædam veterum vox sapienter ait.
Quisquis amat Musas, Musis mitescit ab ipsis,
Conueniensq; artes nomen & omen habent.


A 3 Tu

Tu quoq; quem loquimur Musis & Apolline dignus,
Redditus ingenua mitis ab arte manes.
Et tua præcipuè est semper celebranda voluntas,
Noscere quòd studeas dogma salutiferum:
Vt discas veros sincero pectore cultus
Dæmonis extinctos quos cupit esse furor.
Quid iuuat ingenuas didicisse fideliter artes,
Si Christum nescis esse salutis iter?
Hæc pietas summa est, hæc est sapientia prima,
Vt Christum vera relligione colas.
Ergo te merito felicem dicere possum,
Quòd curam sacræ relligionis habes.
Hinc sibi te proprio merito gratatur alumno
Patria, quæ de te spem pietatis alit.
Et letor votis quòd non frustrata sit vllis,
Quod queat ingenio doctior esse tuo.
Nunc quia multiplici studio hinc ornatus abibis,
Albiacæ relinquens agmina culta scholæ:
Omnia fausta tibi veteri de more precamur,
In patrium possis sospes vt ire solum.
Vade bonis auibus veteres visurus amicos,
Quos tibi Thesæo fœdere iunxit amor:
Vt pede felici vadas comitantibus opto
Musis, quæ faciant vt leue fiat iter:
Dulcia sic patrij videas (comitante caterua
Angelica) ruris quæ petis arua tui.

Et


*Et quamuis longo tractu diuellimur ambo,
(Viure quàm vellem nos propiore loco)
Dum tamen in viuo remanebit pectore sanguis,
Semper inoblita te pietate colam.
Nos quoq; nunc iunctis pro consuetudine dextris,
Spondemus quæ sunt grata futura tibi.
Viue diu, mentemq; tuam diuina gubernent
Numina: sis patriæ gloria magna: vale.*

F I N I S.



Et quoniam longo tractu diuulsum. ambo
(Vere quoniam bellum nos proprios loco)
Quoniam in dieo remanet pectoris sanguis
Sanguis nobilitate pietate colat.
Nos quod tunc iustis pro confutandis dicitur
Sedebimus que sunt omnia facta tibi
Vne die mentem tuam diuina gubernent
Nominis in patrie gloria magna. pite.

F. I. N. I. S.



11.



153028

AB: 153028

ULB Halle

3

003 486 044



86



[Faint, mostly illegible handwritten text in a medieval script, possibly Gothic or Carolingian minuscule. The text is arranged in columns and includes several large, decorated initials in red ink. Some lines are underlined with red ink.]





46

CARMEN PROEPIKON

HONESTO ET
DOCTO VIRO, ERVDITIONE
ET VIRTUTE PRAESTANTI M. IACOBO
Matthiae VViello, conterraneo & amico suo
ueteri VVitteberga discedenti,
scriptum

A
THOMA ANDREA
Vardensi.



VITEBERGÆ
EXCVDEBAT IOHANNES
CRATO.

ANNO M. D. LXIII.

